

DIACONI  
ET COLLEGAE EXTRAORDINARII MVNVS

IN ILLVSTRI SCHOLA PORTENSI

MENSE OCTOBR. MDCCLXXV.

SVSCEPTVM

VIRO PLVRIMVM REVERENDO

AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

5275. CHRISTIANO LVDEWIG  
WENDLERO

A. M.

GRATVLATUR

CHRISTIANVS GOTTHELF HAVCK

A. M. PASTOR ET INSPECTOR PORTENSIS.

---

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

*Herment. S. 11 a.*

1. r. bibl.

00,34



INSTITUTIONE EX LIBRARIIS ET MUSEIS

IN HOC VOLUMINE CONTINETUR  
LIBRARIUS

ET MUSEUM

AD USUM

LIBRARIUS ET MUSEUM

LIBRARIUS ET MUSEUM

LIBRARIUS ET MUSEUM

LIBRARIUS ET MUSEUM

LIBRARIUS ET MUSEUM

LIBRARIUS ET MUSEUM

LIBRARIUS ET MUSEUM





VIR PLVRIMVM REVERENDE,  
AMPLISSIME, DOCTISSIME.

**N**ouum a Principe clementissimo demandatum munus Diaconi et Collegae extraordinarii in schola Electorali Portensi hodie, sub auspiciis diuinis, fuscipis, et solenni ritu a Viro Perillustri *de Berlepsch*,Inspectore illustris Scholae provincialis grauissimo, solenniter inauguraris; praesentibus et congratulantibus Viris clarissimis et doctissimis, Grabenero, Rectore, Beckero, Conrectore, Barthio, Collega Tertio, Geislero, Cantore et Schmidio Mathematico. Quid TIBI hoc exoptatius, mihiq̄ue iucundius euenire potuisset, cum prouincia haec et TVIS respondet votis, et mihi occasionem praebet exoptatissimam, TIBI contestandi animum meum, et illustri Lyceo Portensi declarandi, quam maxime ipsi cupiam. Gratulor TIBI, Porta, de Diacono diuinitus misso, et, quantum in ipso est, satisfacturo nouo muneri suo: qui et humanitate et assiduitate in munere Collegae Ter-



cii in schola cruciana, quae Dresdae floret, fungendo inclarescere studuit, et Inspectorum dictae scholae grauissimorum beneuolentiam, inprimis VIRI SUMME VENERABILIS ET MAGNIFICI AM ENDE, optimi Scholasticae rei Arbitri, (O si in summi viri laudes hic excurrere liceat, cuius nomen laudesque Portae manebunt in secula remotissima, ita, vt propter celeberrimi viri gloriam nullus in posterum Pastoris et Inspectoris munus apud Portenses suscepturus vnquam elaturus sit capula et aliqualem gloriam (comparaturus) assecutus est; Gratulor TIBI, Vir clarissime, de prouincia noua, apud Portenses suscepta, qua TVORVM compos factus votorum, multos et sacris et humanis literis ditandi occasionem es nactus, et viam ad grauiora aliquando munia praeparatam vides. Forti illam ingredi animo, et ipem habe fore, vt diuina ope et consiliis nunquam destituaris.

רק חזק יא מץ מא- לשמר לעשי ככל- התורה אשר  
 צוה נשרת אל- תסור ממנו ימין ושמאלו למען תשפיל בכב  
 :ה אשר ת ל ה: Praesta TE vnum! Ita in nouo TE gere munere, vt Clementissimi voluntati Principis omnia TVA studia et labores exasse respondeant. Quemadmodum et nuper praeclare initia amicitiae cum iis, quibuscum in posterum conuersandum et viuendum est, posuisti; ita in eadem voluntate perseueres. Quod de TE et speramus, et sane confidimus. Ne autem gratulatoriae hac literae omni quasi ornatu destitutae, TVIS se offerant oculis, praefari antea quaedam, quam ad ipsam gratulationem accedam, pace TVA liceat, quae ex ipsa noui TVI muneris natura deprompta videntur, cum iustines munus, et Praeceptoris in Schola, et Oratoris in aede sacra. Mihi semper visum est, quo acutior quis Grammaticus in schola, eo melior Interpres et Concionator in cathedra sacra! quo attentiores et diligentiores discipuli in Scholis, cum praeceptores audiunt explicantes scriptores profanos, eo feliciores futuri sunt literarum sacrarum Interpretes; et Scholarum Magistri mihi visi sunt eximiam praestare Ecclesiae operam, quando curate instituta auctorum profanorum interpretatione praeparant iuuenes ad accuratius intelligendos et explicandos libros sacros. De hac re pauca TECUM comunicabo, et TVVM iudicium expectabo.

Scholarum Magistri vel job hoc maximi sunt aestimandi, quod suos ita sensim regulis interpretandi adfuescunt discipulos,

vt



vt deinde mirifica facilitate et vtilitate ad sacros libros feliciter interpretandos accedere, in eorumque explicatione felicissimos facere progressus possint, et recte precepta institutione Scholastica optimi aliquando euadant Theologi. Addiscunt sensim sensimque discipuli, audientes Magistrorum suorum rationem explicandi scriptores, interpretandi artem, vt sine traditis regulis modum interpretandi didicisse videantur; et ad Sacras literas interpretandas progressi, multo feliciores aliis non ita eruditis in difficillimo interpretum munere faciunt. Variis argumentis, varioque modo id Tibi Vir Clar. demonstratum dabo: antequam autem fiat, me non poenitet, ex doctissimorum hominum in interpretandis libris sacris turpi lapsu difficillimum interpretum munus docere. Vnum Originem ex antiquis velim sumas, inque eo egregium earum, quae ad explicationem sacrarum literarum faciunt, rerum apparatus, mireris, de Scholiis eius cogites, quantam, si superessent doctrinam, quantam animaduuerteremus eruditionem, et, turpiter tamen lapsum, et allegorico interpretandi genere delectatum esse Originem, nonne iure dolemus? Cocceio, inter Reformatorum recentiores viro in omnibus, quae ad interpretantionem sacrarum literarum requiruntur, versatissimo, diuturnique vsus et exercitationis, (omne enim tempus interpretationi impendisse quis nescit?) interpretanti quid euenerit, nimium scilicet sensui abscondito in sacris literis fauenti, (vnde Cocceiani) nemo est, qui ignorat. Quid dicam de interprete Prophetarum Grotio, in hebraicis graecisque excellentissimo, in quibus. (malis, num fecerit, mente, nec ne alii iudicent, (nunquam et nullibi Christum inueniri, sed vbi que historiam, sibi persuasit. Nonne vero suis hi exemplis nos docent, difficillimum esse Interpretum sacrorum munus, quoniam et eruditissimi a recto facillime aberrarunt scopo viri. Recta quidem haec, quae dixi, TE Vir doctissime pronunciantem audire videor, et satis difficillimum, ex allegatis exemplis, interpretandi cognosce posse munus, affirmantem; nunc vero huic demonstrationi cum finem imponendum, suades, ne longior, breuis cum esse debuit, oratio fiat, Tuo iudicio eo lubentius obsequium praesto, quo mihi ipsi magis, ad constitutam vt veniam disputationem, cordi est.

*Difficultas interpretandi muneris ex doctissimorum hominum lapsu cognoscitur.*

*Cuius rei Commentarii eius in Matthaeum et Iohannem sunt testes. Graecarum literarum notitia patet ex doctissimis notulis in Iosephum ab Haerercampio editis: hebraicarum ex Commentariis eius.*



*Exercitatione  
magis quam  
regulis conti-  
netur inter-  
pretatio.*

*In Praefat.  
Init. Rhetor.  
p. 700. seqq.  
In Prolus. de  
difficultatibus  
N. T. recte  
interpretan-  
di.*

*In quibus li-  
bris explican-  
dis exercita-  
tio futuris sa-  
cris interpre-  
tibus institu-  
enda sit, et  
quomodo ad-  
iuuentur in ea  
re a Schola-  
rum Magi-  
stris.*

Quam egregie, Vir doctissime, illos falli, qui omnis interpretationis rationem ad regulas redire, sibi persuadent, profanae simul ac iacrae, (quanquam vna tantum, eaque grammatica recte statuitur interpretatio) ipse quaeso iudices, iuvenes autem tuae fidei commissos omni, rogo, tempore de eo moneas, vt, iis disciplinarum, quae non continentur contemplatione, sed maxime exercitio censentur, plurimum valere vsum et exercitationem nunquam obliuiscantur. Quod, ni fallor, Cicero vult, qui, in eloquentia stilum i. e. exercitationem optimum esse, ait, magistrum, et frustra praecepta disci, nisi vsum accedat. Minimum est, de arte loqui, multo maximum ex arte loqui, Cicerone teste, quem locum S. R. Ernesti allegat, cuius verba adiecta simul legisse, neminem poenitebit. Idem vir celeberrimus alio loco ait: Vt in omni arte praecepta facilius discuntur, quam ad vsum transferuntur, sic in interpretando quoque non adeo quidem difficile est, in vniuersum, quid sequi debeas, videre, caeterum, cum ad rem veneris, suo quodcunque praeceptum loco in promptu habere, ad idque dicta exigere et interpretationem dirigere, id vero si non ingenii, at diligentiae et exercitationis est permagnae et diuturnae. Eorum igitur, quibus est cordi, vt aliquando boni, eorum omnium seculorum dignitate capti, interpretes laeri euadant, praecipue interesse, Ciceronis auctoritate confirmatus, existimo, vt omnis primum generis bonos interpretes audiant, diligenterque legant, deinde ita instructi ad sacros libros accedant, et illis crebro affiduoque perlectis periculum interpretandi in facilioribus locis faciant et ad difficiliora deinde progrediantur, quod qui obseruabunt, nunquam felici destituentur euentu.

Futuros sacrarum litterarum interpretes initium interpretandi in profanis facere oportet scriptoribus. Si ita hanc rem disputarem, vt auctoritatibus tantum pugnarem, non dubitarem, Lutherum, Melanctonem aliosque viros doctissimos multam mihi operam praestituros, verum, ne sine idoneis rationibus ductus rem videar aggressus, videbimus, primum de quibusdam rationibus, quae futuris interpretibus sacris suadent, vt ante omnia ad profanorum scriptorum accedant lectionem et explicationem, et quoniam ex-  
emplo-



emplorum vis testimoniorumque, quae maius argumentis addere videtur pondus, non omnino negligi debet, addere quaedam licebit huic rei congrua. Si, neglectum exercitium interpretandi scriptores profanos, causam saepenumero fuisse, quare Patres non litteralem sensum, sed allegoricum in sacris libris inuenerint eumque ecclesiis obtruserint, demonstrauero, nonne TIBI videbor rationem quandam protulisse, quare a profanis scriptoribus interpretationis initium faciendum esse, iure postuletur? Non nimis longe arcensenda erit huius rei probatio, cum TIBI, VIR Doctissime, ipsi verba Hieronymi nota sunt, quibus, se adolescentem, cum primum se aduertisset ad Commentarios scribendos, ait secutum esse interpretationem allegoricam, et rationem, quam adiecit, velim obserues! quia non intellexisset sensum literalem seu grammaticum, de qua ignorantia certe non fuisset questus, si alibi prius explicandorum librorum periculum fecisset. Mireris forsitan, Originem, earum rerum, quae ad explicationem sacrae Script. requiruntur, peritia alias clarum, in eundem interpretationis incidisse errorem: sed cum TIBI ex Huetii Origenianis. satis notum sit, scripsisse Originem allegorica cum statim a Philosophia ad Theologiam transisset, neque antea interpretandi exercitium instituisset, nil superest, quod mireris. Ex his effici posse, quis dubitat, hoc: Si plerumque ii allegoricas, aliasque turpes contortasque in sacros libros intulerunt explicationes, erroresque classissimos Ecclesiae obtruserunt, qui non in humanis antea scriptoribus periculum virium suarum fecerunt, necesse est, vt futuri sacri interpretes praecipue ad interpretandos scriptores profanos diligenter adducantur, in quibus nil admodum periculi timendum est ecclesiae, si errent, quod in sacris nullo modo fieri debet libris. In humanis cum sibi quisquam acquisiuit rationem et facultatem explicandi scriptores, cognouitque, quod maxime sit in eare spectandum, quaeque regulae obseruandae, facile deinde ad sacros transire poterit scriptores. Quod si quis inuertat, illum, Vir doctissime, putasne, sanius agere eo, qui tironem militem ad hostem statim educere, veraeque pugnae obiicere, deinde demum ludicra et imaginaria pugna velit exercere, quasi non hoc ad illius vsum comparatum sit. Huius ordinis necessitatem ipsi saniores

*in Praefat.  
Commentarii  
in Obadi.*

*In profanis  
scriptoribus  
futuri sacri  
interpretes  
initium inter-  
pretandi face-  
re debent.*

Non-



Pontificii cognouerunt. Erasmus doctissimus quid de iis senserit, qui hunc ordinem negligunt, videndum in eo loco, vbi illustraturus prouerbum, illotis manibus et pedibus rem aggredi, hunc in modum differit: Prouerbum vsurpabitur in eos, qui vel audacius, vel parum instructi rebus his, quibus oportuit, negotium inuadunt: veluti si diuinas interpretari conatur literas, graecae, latinae et hebraicae linguae rudis et imperitus, sine quibus non stultum modo, verum etiam impium est, Theologiae mysteria tractanda suscipere. Nec minus Georgius Calixtus agnoscit cum Erasmo, inde ortam esse in ecclesia caliginem, et barbariem, quod neglectae tunc sint bonae literae, fastidita graeci sermonis peritia, multoque magis hebraici: et paulo post: res ipsa loquitur, et pridem a nobis demonstratum est, neminem studiosum Theologiae agnoscere nos posse, nisi qui in literis, et linguis et disciplinis versatus sit. Ne tamen Lutherus videatur nil dixisse de hac re, pauca adiciam verba: *Ich weiss fürwahr, ait, dass wer die Schrift predigen soll, und auslegen, und hat nicht Hülfe aus lateinischer, griegischer und hebräischer Sprache und soll es allein aus seiner Sprache (ex versione) thun, der wird gar manchen schönen Fehltritt thun: denn ich erfahre, wie die Sprachen über die maassen helfen zum lautern Verstand göttlicher Schrift.* Quis autem est, qui nesciat, quantum studium Lutherus in lectione et explicatione profanorum scriptorum posuerit, ita vt saepissime in eorum laudes excurrat, cuius rei exemplum me quondam legere memini, vbi postquam tempus constituerat, quantum in lectione Bucolicorum, Georgicorumque Virgilii consumi debeat, haec tandem de Aeneide pronunciat; hanc tu diuinam Aeneida ne tangas, nisi prius tantum temporis in legendis iis consumseris, quantum caet. Quo maiori iure pronunciare possumus: haec tu diuina volumina interpretari ne audeas, nisi prius multum temporis in audiendis Scholarum Magistris, et addiscenda ratione interpretandi profanos auctores consumseris. Summe Reuerendus Ernesti bene sperare iubet de interprete N. T., si constet primo, in eo esse hebraicae, graecaeque linguae accuratam h. e. non e Lexicis, sed ex vsu et lectione assidua haustam scientiam: deinde antiquitatis, historiae, chronologiae omninoque doctrinae liberalis et artis criticae praeclaram scientiam et vsum, et

*In profundae  
eruditionis  
opere Adagio-  
rum: titulo  
Temeritatis.*

*In Apparatu  
theologico p.  
155. seqq.*

*Tom. II. Al-  
tenb. p. 309.*

*im hessischen  
Heboser.*

*vid. Institut.  
Interpretis  
Noui Test.*



et tandem (quod huc spectat) exercitationem multam et curiosam in interpretando. Dulcissima spe fretus, fore existimo, ut quisque, nisi iam antea laudati ordinis necessitatem perspexerit, sibi hisce argumentis et auctoritatibus, persuaderi patiatur, iisque literis, quaeque in scholis traduntur, studiisque Praeceptorum iustum statuere discat pretium, eosque tanti aestimare, quanti a doctissimis omnis acui viris aestimati reperiuntur.

Ex huius ordinis neglectu mihi videtur eorum plerorumque sententia orta, qui putant, intelligentiam vnius libri totiusque paene Noui Testam. facillimam esse, quia, non didicisse eos antea in scholis easdem cum verbis coniungere ideas, quas auctor cuiusdam libri cum iis coniunctas esse voluit, manifestum est: quod si didicissent, quomodo illum facilem possent existimare librum, in cuius explicatione plurimum studii, diligentiae et temporis viri doctissimi posuerunt, et saepissime tamen lapsi deprehenduntur. Ex quo intelligitur, eorum sententiam, qui dicunt, se facillime assecutos esse intelligentiam sacrorum Scriptorum, eo redire, ut significant, se cognitas habere plurium verborum e Lexico significationes, seque plurium dictorum qualemcunque sensum theologicum perspectum habere, in quibus non puto se aliquem dissentientem habituros. Huic vero interpretationis inscitiae ut obuiam eatur, maxime necessarium censeo, ut futuri sacrarum literarum interpretes summa attentione Magistrorum Scholarum, quorum disciplinae traditi sunt, interpretationes auctorum, ut vocant, classicorum audiant, modum interpretandi regulasque ex ore eorum velut surripiant, sibi que copiam earum rerum acquirant, quas intelligendi interpretandique facultas postulat. Quam eximiam itaque et praestantissimam hoc in negotio operam praestent scholarum Magistri futuris sacrarum literarum interpretibus, quis non videt? et quam diligentiam adhibere debeant Praeceptores, quis non intelligit? cum ex iis toti pendeant discipuli, et ad eorum praecepta rationemque instituendi omnem suam explicandi rationem instituant. Quae viua docentur voce, altius in discipulorum animis radices agunt, quam quae leguntur, quaeque in ea

*Praeclaram  
operam prae-  
stant futuris  
interpretibus  
sacris schola-  
rum Magistri.*



*Curant praeceptores, ut discipuli modo interpretandorum auctorum recte percipiant.*

aetate a plurimis vel omnino non intelliguntur, vel si capiuntur, ea tamen memoriae tenacitate non tenentur, ut quae ex ore praeceptorum sunt percepta. Quibus persuasus credo, maxime profutura fore ea futuris Theologiae studiosis, quae circa profanorum scriptorum explicationem, cum in schola adhuc essent, audierint. Nonne, Doctissime Wendlere, si legent locum Vet. vel Noui Testamenti, sequentur illum explicandi modum, quo sunt eorum olim Praeceptores in scholis vsi? nonne eorum regulae, quas in explicandis classicis auctoribus accepere, ubiuis obuiaerunt, et earum adiuti scientia in sacro codice. Prudentes igitur scholarum Magistri, qui, libros non legi in scholis, ut modo stylum discant ii, qui instituuntur, bene sciunt, omnem adhibent operam, ut discipuli non modo plurimis optimisque interpretandi regulis instructi e scholis discedant, verum etiam, ut iamiam in scholis teneantur periculum virium suarum in ea arte facere; hunc morem secuti, ut ipsis discipulis librorum explicationem committant, quibus vero in locis non feliciter progreditur expositio, ex ipsis quaerant, qua difficultate locus labore, quae sint, quae non intelligant, in difficultatis causam inquirant, modum, quomodo superare illam possint, demonstrant, verborum an plures significationes in promptu habeant, interdum ex ipsis quaerant, quod indefessum Praeceptorum studium quam praeclaram secum ferat utilitatem, ii ipsi satis norunt, qui hac ratione instituti, academicum ingressi sunt stadium. Saepius ea, quae clarissima atque facillima ab initio nobis videbantur, cum aliis perspicue debent explicari, perobscura reperiuntur, quae ut remoueatur obscuritas, scholarum Magistri sua institutione efficiunt, et sapienter praecautent, ne sacrarum literarum studiosi graecum vel hebraicum Codicem aggressi, putent se intelligere ea, quae non intelligunt. Quis existimet, ut hoc vtar, sic institutos discipulos in iis sacrarum literarum locis Emphases quaesituros esse, quibus, si dictiones eius hebraicas v. c. aut graecas ad nostram linguam exigamus, et ad verbum reddamus, a vulgari loquendi ratione scriptores sacri recessisse videntur? cogitabunt potius de aliis Emphaseos exemplis in humanis auctoribus obuiis, et de vera indole, quam a Prae-

Praece-



Praeceptoribus recte quidem e Longino acceperunt, nulloque in loco verbis Emphasin, nisi plus significant, quam eloquuntur, affingent. Cuius rei ignorantia multos deduxit ita, ut si eorum audias explicationes, credas, animos vel in alia re occupatos se habuisse, vel, studio Emphasin in locis, ubi ne vestigium quidem eius reperias, quaerere aliisque persuadere voluisse. Vni huic exemplo, sexcenta alia addi possent, nisi angusti, quibus circumscribendam putauimus hanc epistolam, limites cohiberent.

Videtur praeterea, Vir clarissime, non sine sapienti consilio a Maioribus institutum, ut tales in scholis essent scriptores, qui indigent et opus habent explicatione; ut illi scilicet a primis annis, qui in scholis institutione Magistrorum utuntur, cum Geographia, Chronologia, Antiquitatibus aliisque rebus, simul regulas interpretandi et modum, et quomodo libri compositi sint, discant, quoniam a primis futuri sacrorum librorum interpretes annis volunt erudiri. Cuius sententiae me non poenitet esse propterea, quod scio, eo seculo, cum reflorescere inciperent literae, inter alios doctissimos viros, qui in praeceptis bonarum disciplinarum suppeditandis, laborarunt, praecipue fuisse Melanctonem et Erasmus, quorum ille communis Germaniae praceptor de omnibus per Germaniam scholis bene meritus fuit, tum, quod de instruendis illis praecepta daret, tum quod omnes disciplinas recenseret, in luculentum ordinem redigeret, et ipsis etiam optimae latinitatis auctoribus enucleandis multum temporis consumeret. Quod cum scio, sententiamque Melanctonis de humanis cum sanctis literis coniungendis perspectam habeo, mirifice in mea sententia confirmatus, firmum meae sententiae adstruendae fundamentum inuenisse videor.

Mihi id tandem videtur reliquum, ut pace tua, Doctissime Wendlere, cum in plerisque ita institutum est scholis, ut etiam nouum Foedus inter libros, qui explicantur, aliquem occupet locum, demonstrarem, quomodo in huius lectione praeclarissimos formare possint sacros interpretes scholarum Magistri, verum, cum

*Maiores nostri in paradisis scholis huius rei videntur rationem habuisse.*

*In ipsius N. T. lectione Praeceptores adiuuant futuros sacros interpretes.*



xtilitas ex huius libri lectione per se patet, et opera mea in hac re docenda male videretur consumpta, vnam tantummodo eamque non vulgarem, quam circa lectionem N. T. suis tradere possunt discipulis, regulam addere liceat. Diligenter scilicet monendi sunt discipuli, vt, si librum explicare velint, assiduum eius lectionem instituant, quam si intermittant, saepe fieri, vt idem verbum, eadem loquendi formula, alio loco damnetur et castigetur, alio loco defendatur. Qua obseruatione ad Nou. Test. translata, egregie praecipunt prudentes Magistri, epistolas Apostolorum non modo assidue, verum etiam vno tenore, legendas esse, quoniam, quae sub libri initium difficiliora intellectu videntur, continuata lectione circa eiusdem finem luce clariora deprehenduntur. Maxime nos in epistolis hunc ordinem obseruare oportet.

Exposita de scholarum Magistris, eorumque non contemnenda opera, qua sacrarum literarum futuri interpretes, non tantum in intelligendi, verum etiam explicandi subtilitate egregie adiuuantur, id reliquum est, vt meam ab iis, quas praeuideo, dubitationibus liberem epistolam, ab omnique parte eius argumentum ita confirmatum reddam, vt nullus dubitandi locus relinquatur. Dicit aliquis, vel non satis de omni hac re edoctus, vel negligentiae deditus, se non leuem quidem Praeceptorum aestimare diligentiam in lectione, quorum in scholis vsus est, librorum, legitime positam, seque de auxilio, quod praestent futuro Theologo, in eruendo sacrae Scripturae sensu occupato, non dubitare, illud autem se non videre, quare nostrorum temporum Theologi necesse habeant, vt ipsi in libris sacris quaerant sensum, cum pluri extent Commentarii, e quibus sacrorum dictorum, sine proprii ingenii viribus, sensus peti possit. Verum ignoscent, qui hanc sibi sententiam finxere, si dixero, praecipuam huius dubitationis causam nullam nisi negligentiae crimen esse, cuius damnum exinde cognoscitur, quod, qui Commentariis vtuntur, ex his potius, quam Spiritus sancti verbis pendeant, atque cum illis et vera et falsa accipiant, quia neque de aliorum explanationibus, quid verum falsumue sit, iudicandi facultate gaudent, neque illis,

vt



vt curiose in illas inquirant, animus est. Idem Iac. Martini mecum affirmat; *Wer im studio theologico recht studiren will, muss Grammaticam hochhalten, und allerhand Sprachen lernen, damit er nicht durch Interpretem, sondern den heiligen Geist selbst in seiner selbsteigenen Sprache ihn hören, ihn verstehen, mit ihm reden und von denen Versionibus iudiciren, die Widersacher, so die fontes turbiren, hintertreiben, confutiren, und maechtig überwinden könne.* Consulendos esse Commentarios, nemo prudens negabit, verum ita, vt, propriarum initio virium periculo facto, aliorum deinde Opera consulantur, in quibus si quis eadem reperiet, valde delectabitur, si alienum, videbit ex aliis, quae non vidit ipse, grataque id accipiet manu, vt B. Speneri verbis loquar. Quod si quis inuertat, non succensabit illis, qui, suum sensum se forte esse eiuraturum, existimabunt, quoniam aliorum tantummodo iudicium secutus, suum ita negligit, vt illo omnino destitutus videatur.

Hanc obiectionem alia excipit, quae eo redit, vt ostendat, saepius laudatam Magistrorum in scholis operam apud multos non eum assequi fructum, quem sibi indefessa sua diligentia proposuerint, ergo non eam illis attribuendam esse praestantiam, quam hacce epistola ipsis vindicandam sumserim. Dubitationis huius responsio tam facilis est, vt opera multis superuacanea videri possit, quae in ista refellenda consumatur, cum responsio cuius sit obuia. Liceat tamen haec addere, vt dicam, omnem fere culpam, si studium a Praeceptoribus indefessum fuerit adhibitum, nec ipsi carent dono recte proponendi omnia et interpretandi facultate, omnem, inquam, culpam in eos deuoluendam esse, qui Doctorum fidem et diligentiam sua irritam reddunt negligentia.

Ad TE, Wendlere, Vir optime et humanissime, redeo, cuius ingenii doctrinaeque vim et praestantiam, ex variis nuper in schola Electorali Portensi, summi iussu Principis, speciminibus editis perspectam miratus sum TIBI que fausta quaeuis sincero iam tum apprecatus sum animo et hodie adhuc apprecor. Talem tibi diuinitus esse missum Diaconum, valde laetor, cuius



ius animus optimarum artium studio non tantum mirifice captus, et humaniorum sanctiorumque literarum notitia egregie imbutus, verum quem Deus etiam clementissimus pietate clarissimisque virtutibus et humanitate ita exornauit, vt omnium animi in eius amorem abripiantur. Muneris TVI, quod cum laude haecenus sustinuisti, partes tanta cum diligentia expleuisti, vt spes sit, TE eadem assiduitate animique promptitudine nouum gessurum esse munus, quod Deo fauente hodie aggredaris. Noli quicquam molestiae timere et laboris, quae cum munere, coniunctos scholasticos et ecclesiasticos labores humeris viri imponente, coniuncta plerumque esse solent. Dei clementia TIBI, ad hoc sacrum munus vocato, vires suppeditabit animi corporisque largissimas, quibus adiutus omnia, quae Tuis videntur viribus esse maiora, longe superabis. Faxit Deus O. M. vt TVAS apud Portenses Musas TIBI impositas partes, ea fide et dexteritate, quae TIBI propria esse solet, adimpleas, Deique gloriam Alumnorumque Portensium vtilitatem promoueas. Conseruet TE Numen sanctissimum in plurimos annos florentem, et perfectissimis bonis cumulatum, vti prosperitatem TVAM omnes boni ex animo optant. Caeterum si intellexero, mei animi significationem TIBI. Vir Plurimum Reuerende, non omnino displicuisse, valde gaudebo. Ex animo TIBI addictum me esse et fore, veraci calamo consigno. Valeas, meque TVO fauori, VIR doctissime, commendatum habeas. Scripsi in illustri Schola Portensi d. 1. Octobr. MDCCLXXV.









